



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Nobilitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

IGNAVIA HONORATA. CAP. X.

A Lii putant anulum in hunc digitum immisum, ne aurum tam facile obtereretur. Ignavissimum enim esse eum inter omnes digitos, manifestum est, ideoque ad auri & gemmarum incolumitatem aptior videtur. Non enim exporrigi sine aliorum comitatu potest, unde minus attritui obnoxius est. Itaque non defunt qui per eum digitum anulo honestatum, honores ignavo cuiquam habitos interpretari velint. Sed quantum pertinet ad locum subsecuta aetas nihil interesse indicavit, quo gestaretur articulo, sed ut quisque vellet, quacumque manu, quoque liberet digito, ferre permisum est.

*Idem fera
Macrob.
Ibidem.*

NOBILITAS. CAP. XI.

Sed utcumque illi philosophentur, apud Romanos anulus omnino signum nobilitatis fuit: nam ut apud Livium libro secundi belli Punici tertio, Mago, qui Cannensis victoriae nuncius Carthaginiensis missus erat, post rerum gestarum seriem enarratam, ad rerum tam letarum fidem effundi iussit in vestibulo Curiae ingentem illum anulorum aureorum acervum: deinde verbis adjecit, quo majoris cladis indicium esset, neminem nisi Equitem, atque ipsorum primores, insigne id gestare. Et in calce noni ab Urbe condita: *Tantum, inquit, Flavii comitia indignitatis habuere, ut plerique nobilium anulos aureos & phaleras deponerent.* Et ubi Cicero oratione quarta obicit Verri, quod indignissimos in concione anulis aureis donasset, *Honori, ait Asconius, & lucro sunt, ut hasta, vexilla, phalera, corona civica, item anuli aurei ingenuitatis signa.*

*Nimirum
equestru-*

DE DIADEMATE. CAP. XII.

A Banulis & gemmis, casu nescio quo, ad diadema progressum est, quo in sermone, quod fasciam esse diadema dicerem, & in numis aliquot eam gemmatam ostenderem, admirari videbare, cuius rei fidem affererebam, Aegyptios Sacerdotes, si principem hominem ostendere voluissent, hieroglyphice Canem solitos facere fascia velatum, de quo ad Florium loco suo plura.

*Uti quod a
diadema,
circumligo.*

REGIA POTESTAS. CAP. XIII.

Idem Regiae potestatis significatum a fascia etiam apud Romanos acceptum, exemplis tibi plurimis confirmavi. Apud Ammianum enim Pompejo legimus obiectum ab obtrektoribus, quod esset rerum novarum cupidus, & Regiae majestatis affectaret insignia, quia crus fasciola candida obligatum, tegendi ulceris causa, gesta verit aliquamdiu: nihil enim interesse, jaetabatur illi, quam quis partem corporis redimiret Regiae majestatis insigni. Nam & Favonius, ut Valerius ait, dicere solebat, nihil referre, qua in parte corporis sit diadema, cum ita Pompejum eundem carperet. Eoque Seneca sententia nimirum spectat, ubi dicit: *Fasciam solve, multum enim mali sub illa latet.* Libro de Alexandri virtute Phutarchus ait, Tigranem Armenium candidam fasciam, quod insigne regni est, ad Pompeji pedes abiecit, regnumque foedisime depositum in praedam concessisse. Cujusmodi vero esset ornamentum hoc in numis vidimus in quibus ejus Regis caput impressum est, cum inscriptione, *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΥΡΡΑΝΟΥ*, ab cujus altera parte hostem ipse prostratum calcat, palmamque dextera praetendens, hosti sceptrum sustollere videtur. Ibi vero diadema ita figuratum est, praeter fascia opere Phrygio, floribus & alutibus superadditis, elaborata, a fronte ad occipitum circumdetur, duaeque a temporibus hinc inde tapiae, ipsae quoque a medio deorsum scissae in humeros usque dependeant, gemmis per omnem marginem bacchantibus. Et Cidarini Regis Persarum insigne, quod Darius capite gestabat, caerulea fascia albo distincta circumibat. Ad diadema vero facere fasciam, Antigoni dicitur indicat, usurpatum a Seneca. Ille enim vetulae cuiquam felicitatem ejus admiranti respondit, *Si nosset, o mater, quanta quovis mala panni frustum hoc obregat (diadema commonstrans) illud quidem vel e Antigoni sumo tollere minime dignaretur.* Sane eum Caesaris imagini quidam ex adulatorum numero, ut Appiani more loquar, coronam auream candida fascia praefigata imposuisset, Tribuni Epidius Myrillus Cefetivus, qui id fecerat, a Flavio, ut apud Tranquillum est, coronae fasciam detrahi iusserunt, hominemque qui id fecerat, duci

*Idem apud
Plutarchum
in Pompejo.
Lib. 7. c. 11.
Nobilissime
quoque Imp.
Graeci co-
tribunt pro
diademate
habuere.*

*Diadema-
ris descri-
ptio.
Et scilicet
Myrilli in
Caesarem.*